

Sd. 22.

DISSERTATIO IVRIDICA
 DE
INDOLE
FVRTI PERICVLOSI
 QVAM
 PRAESENTE
 IO. SAMVELE FRIDER. DE BOEHMER, ICTO
 POT. REG. BORVSS. CONSIL. INTIM.
 ACADEM. VIADRIN. DIRECTORE
 IN
 AVDITORIO IVRIDICO
 DEFENDET
 HENRICVS LVDOVICVS GRAVN
 BEROLINENSIS.



D. XXIII. MAII MDCCCLXX.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
 TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
 ACAD. REG. TYPOGR.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY
OF LINDSEY
BY THE LIBRARIOSI

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF LINDSEY
BY THE LIBRARIOSI

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF LINDSEY
BY THE LIBRARIOSI

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF LINDSEY
BY THE LIBRARIOSI



§. I.

In vulgus notum est, furtum dividi in *simplex* Notitio et *qualificatum*, quorum hoc semper gravius ^{furti qualificari ea} illo, sive concurrat periculum, quo casu in *periculoso* specie *periculosum* audit, siue alia circumstan-
tia aggravans reatum augeat. Unde male *qualificatum* cum *periculoso* a plerisque synonimice sumitur, quum sae-
pe aggravans circumstantia concurrat, quae nihil cum pe-
riculo commune habet. Magis adhuc peccant, qui pe-
riculosum cum *violentio* confundunt, exemplo REMI ac
STEPHANI. Sola violentia non exhaustit vocabulum
periculosi, quum etiam metus imminentis violentiae, actu-
ali vi aequiparetur. Neque enim in art. CLIX. vocatur
ein gewaltsamer, sed *gefährlicher Diebstahl*; certo indicio,
periculum esse genus, et in plures species abire, quarum
altera vi actuali, altera suspicione violentiae absolvitur.

A

Unde



Unde minus accurate hoc praedicato vtuntur Interpretes,
exemplo LEYSERI sp. DXXXVI., cui ansam dedit opinio CARPOVII de *seditione* cum hac specie conjugenda.

§. II.

*fne actua-
li vel im-
minente
periculo
furtuu
pericu-
lum conci-
pi nequit.*


Quum ergo periculum hic omne punctum ferat, necesse est, vt non alia circumstantia huc trahenda sit, quam quae ad illud inferendum zpta, contra, a qua vel prorsus, vel e longinquo abest periculi suspicio, removenda, quantumvis summa *improbitas*, et directum furandi consilium concurrat. Potest sur in extremo gradu malitiosus, et quem praecavere difficillimum, esse, qui tamen non aequae periculosus est. Et licet factum eius *improbitate* singulari constet, et non immerito *qualificatum* audiat, non tamen respondet periculose *concretationis*, per quam non tantum *bona*, verum etiam *vitae*, ac membrorum *integritas* periclitatur, et sic vinculum, quod *natura* inter omnes homines constituit, turpiter rumpitur. Quae circumstantia illa ipsa est, ob quam atrocius supplicium in eum definitum, et omnino definiri meretur. Eamque in mentem habuisse Carolum V. docent rationes decidendi *cit. art.* So ist der Diebstahl welcher als obstehet, gebrochen oder gestiegen, ein gefissener gefährlicher Diebstahl, item, so ist in dem Diebstahl, der mit Waffen geschiehst, eine Vergewaltigung und Verletzung zu besorgen, quae eo attentius notari meretur, quo magis lucem foenerantur variis quaestionibus, magnis animi motibus a Ictis pro et contra ventilatis. Neque turbare nos debet vox gefissener, iuncta sequenti verbo gefährlicher, quasi quodcumque furtum animo

mo

nimo directo et improbe suscepturn hoc verbo comprehen-
datur. Quum enim hoc praedicatum Imperator non dis-
jungat, sed conjugat, imo in rubro dicat, vom ersten gefährlichen Diebstahl, nostrum quoque non est verba ab invi-
ceme separare, sed convenit, ut ex mente legislatoris statuamus, omnia furtar periculosa esse directa, et extreme
malitiosa, quum nemo ascendere, effringere aut armis introire aedes possit, quin destinatum consilium per vim contrectandi habeat; sed non omnia directa esse periculosa.
Parum accurate ergo verba illa latine expressit GOB-
LERVS voluntarium ac malitiosum. Male KRESSIVS
§. I. n. 4. putat, diversas rationes decidendi, diversa furtar
arguere. Verbis illae differunt, in effectu conincidentur, et
ad unam speciem, quae periculo absolvitur, redeunt, neutra ad solum astum comparata. Neque pugnat, non ab-
stante unica ratione decidendi, nihilominis tres species, ei-
dem respondentes statuerent.

§. III.

*Tripli modo furtum periculosum esse censetur et Commie-
regulariter capite coercetur, nonnunquam extra ordinem. titur (ref-
Unde posses dividere furtar qualificata in propria, et impro- fractione
pria. Prima species committitur effractione, et designatur
verbis: So ein Dieb jemand in seiner Behausung oder Be-
haltung bricht. Effractione paulo latius patet et omnem
aperturam periculosam comprehendit, perffissionem si pau-
lo formidolosa fuerit, non excludit. Movet CARPZ.
Q. XCVII. N. XXXIV. quaestionem, num perffissio
parietum e limo confectorum huc pertineat! eamque ne-*
A 2 negative



gative decidit, sed perperam. Nam et si *facilius* eiusmodi paries rumpitur, quam si lapidibus compositus, tamen *formidini*, quae ex armis et instrumentis huic fini aptis colligitur, nil detrahitur. Instrumenta armaque *lethifera* enim omnino, ut verbis: *ein gespissener gefährlicher Diebstahl* quadrant, oportet esse adhibita: his omissis furtum periculosum esse desinit. Quid enim, si homo trium litterarum, *manibus* rumperet fenestram, januam, armarium? An ideo, quod nocere *posset*, periculosus dicitur. Negant C A R P-
Z O V Q: XCIX. N. XXXVI. L E Y S. Sp. DXXXVI. N.
XII. B. L V M L A C H. ad h. a. contra semper *arma* ad pericu-
losum requirit H E R T I V S, quem sine fundamento vellicat
K R E S S I V S cit. loc. Ad *ascensionem* *arma* non requiri, atque
eatenus lapsum esse H E R T I V M, concedo. Ast *effractionis*
est alia ratio, quam, quicquid periculi huic inest, soli
instrumentorum adhibitorum qualitati debeatur, quemad-
modum *metus* *armorum* *praesentium* *ascensionem* facit pe-
riculosam. Neque opus erat, id *nominativum* exprimere,
quod per se jam subintelligitur. Quid ergo, si *clave laco-
nica* fur intret hypocaustum? Dubito, an metus periculi sit
iustus, si aliunde armatus non est, illa enim, quoad sub-
stantiam ab *aliis* clavibus non differt, et tantum abest, vt
per eam *effractione* fiat, vt potius commodiorem et *artifi-
ciosam* viam aperiendi contineat, et astutiae, *eines gespisse-
nen*, non vero periculi, *einer gefährlichen*, argumentum
sit, fatente. S T R Y K I O de *säcul.* C IV. N. XLIII. Fa-
tentur aequitatem hujus interpretationis T A B O R ad h. a.
§. XXV. B E R G E R. p. 35. C L A S E N. h. a. Sed ex *prae-
judicio*, quod Carolus *arma* non requisiverit, nec inter pe-
riculosam


riculosam et simplicem distinxerit effractionem, ejusmodi aperturam *verbis* legis nihilominus convenire, putant. Gemina sunt, quae de ruptione, pulvere nitrato facta, proponit STRYK V. M. ut ad CARPZOVIVM docuit Dn. PRAESES Quæst. LXXIX. obs. III. Temeritatem et vim in dubium non voco, ast concursum periculi perspicere nequeo. Nam vis, ejusmodi munimento rupto propria, qua talis inhabitantibus noxia esse, eorumque vitae insidiari nequit. Idem propugnat KRESS. §. 5. n. 2. Disfentit. GRASS. p. 657. Sed circumstantiae, quibus hanc speciem circumscribit, docent, non tam hanc aperturam, quam usum sclopeti eum movisse, ut pro furto periculoso pronunciaverit. Multo minus effractionem cistæ subdole ablatae, postea extra locum contrectationis, licet ingenti vi suscepit, hoc referrem, eo, quod nemini *periculosa* esse possit, ut recte arguit KRESS. ad h. a. Vel haec species docet, quantopere a vero abeant, qui, verbis articuli stricte inherentes, effractionem *qua talem*, qualificati furti argumentum esse perhibent.

§. IV.

Determinat imperator effractionem per objectum *Behaftung oder Behaltung*. Prior appellatio strictior, posterior latior est. Illa ad praedium *habitationi* destinatum, in quo, vel circa quod *homines* delitescunt, notat; haec quodcumque *receptaculum* ad custodiendas res patrimoniales aptum continet. De *aedificiis* vix dubium superest, in quibus praesentia inhabitantium furtum reddit pericolosum, sive in *civitate*, sive in usum *ruricularum* extorta, quibus


A 3

quibus rebus effractione respondent?



bus aequa ac civibus parta est securitas. Periculum quippe
vitae, ut homines qua *tales*, sine praerogativa status, di-
gnitatis, natalium, effugiant, salus publica requirit, iu quam
impingeretur, si homines *fortunae* iniuria miserabiles ab
illa non participarent. Quid? quod tanto atrocius fa-
ctum sit, *ruriculas* obsidere, quanto minus intra munimenta
vivunt, sed se suaque *incursonibus* exponere tenentur,
ut iam dudum observavit TABOR. Nolim tamen ex-
emplo KRESSII, et LYNKERI dec. CCLX. vacuas aedes
his immiscere, si, eas inhabitatoribus destitui, constat. Has
enim qui intrat, licet mille *armis* instructus sit, tantum ta-
men abest, vt formidolosus, aut talis sit, von dem eine *Ver-*
gewaltigung oder Verlezzung zu besorgen, sunt verba cit.
art., vt potius cum tignis ac lapidibus ipsi res sit, *homini-*
bis autem nocere non possit, nisi adeo contiguae fuerint,
ut, *vicini* occurrentes periculo exponi possint, quam cir-
cumstantiam ipse LYNKERV^S cit. loc. supponit. Quo sit,
ut qui *vinetum*, quo quis interdum voluptatis caussa vtitur,
vel *horreum* a consortio hominum remotum, no^te, qua
nemo ad illud accedere solet, licet *ingenti* vi furandi cau-
sa effregerit, pro fure periculo non habendus, vt recte
iudicat GRASS. p. 659. Taceo non multum *audaciae* ad
perpetrandum hoc furtum desiderari, quae tamen a fure
periculo vix abesse potest. Denique in penalibus im-
primis, vbi de capite agitur rigor magis *temperandus*, si
vel ulla ratio probabilis speciem aliquam comitatur. Illud
non silentio omittendum, eum qui testis stramineis vim
infert, huc trahendum esse. Quodsi enim fatente CARP-
ZOVIO N. XXIX. consensio aedium per *scalias* hoc verbo,
comp'e-

comprehenditur, quidni consensio simplex cum testi straminei *violenta* fractura, et irruptione, de qua ex instrumentis adhibitis iudicandum, idem praestaret? Sin solis manibus consumitur, huc non pertinet. C A R P Z. N. XLVIII. Hactenus de effractione. Sequitur vox *Behaltung*, quae ad omne conditorium pertinet. Nominatio narmarium, cistam, cellas, vel arcam, in quibus quid reponi solet, si violenter aperiuntur, huc trahit T A B O R §. XX. a quo non alienus est C A R P Z. Q. LXXXIX. N. XXXIV. licet arcum *bene* munitam, et sine vi forti, vix aperiendo supponat, quod utique rationem habet. Nam haec circumstantia sua natura cohaeret furto periculo, quod non magis ab arca, quam aedium, qua talium, apertura ita dicitur, sed utraque vim *fortem* requirit, ut domesticis vel aliis occurrentibus *formidolosa* esse possit. Vnde si manu rumpitur cista, vel interiecta *crustra lignea* munimenta propelluntur, idem obtinebit, quod §. antec. de effractione *leviori* scripsi. Magis de ascensione, quam effractione quaeri posset, num *der Behaltung* respondeat, ad quam utraque h. a. refertur? Dubium hoc movet, T A B O R §. III. et R E M V M n̄mis stricte hoc verbum de *cista* capere, afferit, ad quam non ascenditur. Sed salva res est. Verbum *Behaltung* etiam tuguriolum, horreum, et aedificium, pecorum causa exstructum comprehendit, quibus utique convenit ascensio, vt autem *omnibus* specie bus *der Behaltung* conveniat, necesse non est. Ascensio separata speciem continet, eodem modo ac introitus cum *armis*, quem frustra ad *arcam* applicaveris. Sicuti euim tres modi *specie* differunt, nil obstat, quo minus unus alterve



terve latior, vel angustior esse, et plures, aut pauciores caus cunctinere possit. Interim non defunt, qui effractionem arcae etiam violentam, capitalem esse negant. GRANZ de defens. reor. p. II. c. VI. m. I. S. III. N. LXXV. De receptaculis in navi violenter effractis, quaestum esse memini. Respondit ordo ICtorum huius loci, notionem *Befhaltung* etiam ad navem quadrare, et *capitis* poenam dictavit ei, qui per vim nautae qui tempore violentiae *praesens* non fuisset, inavis tamen prope aedificia, ripa adiacentia, erat religata, ut aliis, laeso opem forsan ferentibus, vis potuerit esse *periculosa*. Aliud, si religatio navis a consortio hominum remota repugnat; tunc enim obtinet, quod de aedificiis in loco *solitario* dictum.

§. V.


ascensione Altera species *ascensione* absolvitur, non omni, sed tali, quae justum periculi metum incutit. Ita enim explicanda vox *steigen*, cui, ut praedicatum *gefährlich* adderetur, opus non fuit, cum id suppleat ratio: *Das ist ein geflossener, gefährlicher Diebstahl.* Ea vero demum periculosa est, quae sit *scalis*, ad superiores aedium partes admotis, quasi summus gradus sit audaciae, ita ad aedes alterius accedere, vt *difficilis* maneat discessus. Quid enim eiusmodi fur in re trepida non molietur? Nonne, a demesticis deprehensus, quia solo saltu, vel precipitio effugere potest, desperata salute, quidvis tentabit, quod sine vi vel furioso impetu vix fieri potest? Scit hanc conditionem, qui *ascensionem* meditatur. Dum ergo eam *decernit*, non potest non, in antecessum de oppositione *violenta* cogitare, *quam,*



quam, etiamsi armis destitutus, cum dispendio concurrentium in effectum deducere potest. Taceo, talem conscientiam plerumque nocte, sepulta somno Familia, clausisque januis, perpetrari, ubi tenebrae, quo difficilior redditus, eo gravius periculum conjunctum habent, peregrino isto hospite exitum, si quis adest, circumspicere non valente, et sic in extrema desperatione constituto. Armorum gestatio praecise non desideratur, quia alioquin à tertia specie vix differret. Sufficit metus armorum, cum ascensione semper conjunctus, qui rationem decidendi *eines gefährlichen Diebstahls* suggerit. Ulterius progreditur F R O E LICH Libr. IV. M. XII. N. XIII. Scribens, wie denn auch das Wortlein Einstigen uicht von gemeiner Leiter Anlegung, sondern von gewaltsamem friedbrechigen Einsteigen zu verstehen, sed sine ratione sufficiente, quum ex scalorum admotione, eique cohaerente metu armorum, sufficiens periculum emergat, nec opus sit ad seditionem recurrere. Est haec interpretatio consequens doctrinae Carpzoviana, vim seditionis ad hoc verbum referentis, quam mox eximabo. Proinde non est furtum periculosum, quum fur vel cum scalis, vel sine iis accedit ad inferiores aedium partes, unde facilis est recessus, et sic respectu furis res non adeo trepida, vt ad desperationem ob praeclusum abitum confugere teneatur. Multo minus quoties macieriem minoris altitudinis transcendit, ut, turbatus, mox solum vertere possit. Quid? quod ne quidem ascensio ad superiores aedium partes semper periculosa fit, veluti si testa vicinia ita sunt contigua, ut ex uno in alterum saltum tentare et quae ibi deposita, sine singulari audacia, aut oppositionis,

B

metu



metu auferre queat. Qua ratione furem *frumentarium*, non obstante tali conscientia a poena capitali absolutum memini, qui non sine ratione allegabat, domesticos inferiores partes in habitare, nec facile, quae in superioribus moliri solent, percipere, adeoque nulli omnino periculo ista conscientia exponi. Facilius de eo dubitari posset, qui per *scatas* ascendit, et deprehensus, quum vim opponere potuisset, mox *latebras* quae sivit, vel *mischordiam* hospitis imploravit. Talem casum respondit ordo ICtorum huius loci, et a rigore exclusit, eo, quod metus periculi sola *prae sumptione* nitatur, ea vero probatione contraria elidatur. Quo ipso per accidens fit, ut deprehensus melioris conditionis esse possit, quam non deprehensus, qui, et si forsan non adeo formidolosus esse potuisset, ex *prae sumptione* legis obstante, *rigori recte* subiicitur.

§. V.

m) con-
cursu ar-
morum.
Sensu ar-
ticuli

Tertia species ad furem, qui nec effregit, nec ascen-
dit, sed tamen *armatus contrectavit*, pertinet. Ut ita deprehensus, et l'occasio armis utendi oblata sit, aut ut vim armis intulerit, necesse non est, sed sufficit, in ea conditione fuisse, ut resistentibus noxius esse potuerit, ut verbum *ver-*
letzen mochte, item zu *beforgen*, evincit, ethis concordans ra-
tio decidendi comprobat, quamuis, si vis alicui in *execu-*
tione furti illata, tanto minus de usu poenae capitalis dubitan-
dum. Quaenam fuerint arma, securis, sica, gladius, cul-
trum vel baculus, nihil omnino refert, dummodo ad *mo-*
tabilem laesionem apta fuerint, nam quae eius conditionis non sunt, ut *contrectationem reddant periculosam*, cum
furto

furto *simplici* consistere possunt. Nibilo secius in quaestione est, utrum Imperator furtum periculosem ex sola praesentia armorum, quae reus gestavit, aestimaverit, an quid *amplius* ad evincendum periculum requisiverit, ut tanto minus de justo metu constet. Qui verbum *damit*, latine, *quibuscum*, vertunt, et ad arma lethifera referunt, non possunt non *indistincte* eum, qui hisce armis cinctus, rigori legis subiicere, maxime, cum solo *qualitas* armorum periculi metum, in quo fundatur praeiens decisio, satis corroberet, non habita ratione, utrum reus propositum occidendi confessus sit, nec ne. Ast ratio *diversitatis*, cur in hac specie singularis determinatio necessaria videatur, est manifesta, nam *effraction*, et *ascensio* per scalas semper insolita est, et sic ordinarie ad vim inferendam tendit, adeoque si nihil repugnat, per se *periculosa* est; usus armorum vero, prouti gestari *soluta* vel *insoluta* sunt, propositum, et iustum oppressionis periculum coniunctum habent, vel non, et sic metus iis cohaerens non semper iustus, ac validus est, ut sine ulterioribus argumentis protinus sur, quasi ex tripode, pro periculo haberi debeat. *Feripede* vix sine armis incedunt, eos autem ob hanc solam causam *mortem* subire, recte negavit H A R P R E C H T Conf. XXVIII. N. XXVIII. Quod fieri deberet, si in tali metu violentiae quem armorum praesentia suggerit Imperator acquisivisset; praeterea vereor, ut *generali* metu admisso, plerique contrectatores in furtum periculosem incident, contra mentem Imperatoris, qui id ad extremum gradum malitiae restrinxisse, et sic liquidum metum exegisse videatur. Nam gestatio armorum imprimis *gladii* vel similis in-


B 2

stru-



strumenti, vulgo *ein Hirschfänger* tam frequens est, vt *infimatus* fortis homines cum eo incedere more quotidiano soleant. Et, quis tandem est, qui *culturum* ad cibum destinatum non secum ferat? Quae sola circumstantia *omnes* fures ad *furcam* damnaret, si gestatio rei periculose per se ad hunc art. pertineret. De *possibilitate* nocendi, quam qualitas armorum evincit, non dispuo, sed inde semper periculo-fae oppositionis *iustum metum* nasci nego, quum non constet, quid in mente furis reconditum fuerit. Quanto re-tius textus ad illum casum restringendus, quo liquido constat, reum se hunc in finem *unice* armasse, vt promoven-di malevoli consilii causa occurrentes trajiceret, vulnera-ret, aut in genere vim fortē opponeret, quo demum caſu proprie *ein gefüſſener gefährlicher Diebstahl* audit. Colligitur haec destinatio ex *confessione* rei, vel ex *conje-turis* liquidis, quales sunt, si *insolita* arma gestavit, veluti si interdiu, aut nullis, aut non *iisdem*, quibus tem-pore surti instructus fuit, incessit, vel si *indoles* eorum peculiariſ, secundum quam nulli alii usui, quam *laefſoni* inser-viunt, hoc *necessario* infert, quo refero ſicam, *ein Dolch*, vel id ſclopeti genus, quod sub *vestimentis* facile tegi folet, *ein Terzerol*. His demum sub circumstantiis rigorem articuli admitto, et verbum: *damit de cauſa finali*, et praemeditato violentiae consilio cum **R E M O** accipo. Quum ergo ſcelerata intentio hic omne punc-tum ferat, de illa tamquam queſtione *praeiudicali* ante omnia conſtare debet. Eum in finem *articuli* inquisitionales huc dirigendi, vt periculum fiat, an reus *ſponte* id propositum fateatur, quo non facto, non protinus ad *furcam* condemnandus, *ſed*

sed desuper sub fidiculis examinandus, quibus superatis, ad regulas furti *simplicis* exigendus. Interim circa usum torturæ hunc modum tenendum arbitror, ut judec tunc demum ad hanc recurrat, si non *liquidio* constat, sed *dubitatur*, quo fine fur aedes ingressus fuerit, ut sit, si gladio, aut cultro instrutus, aut, ut postea docebo, in aedibus alienis *ante contrectationem* arma conquisiverit. Nam si praeter *morem* arma, aut prorsus *insolita* gestavit, corpus delicti adeo evidens est, ut sine tormentis mox ad furcam relegandus sit. Non multum ab his alienus est KRESS, dum exceptionem furis, se non *latrociniis* causa armatum accessisse, prorsus rejicit, quod suo modo quidem verum, sed secundum antea dicta *absolute* admitti nequit, quin potius pro *diversitate* armorum definiendum. Olim his ambigibus opus non erat, quum *plebejis*, quibus hoc etiam potissimum familiare, visu et gestatione *armorum* interdictum esset, sola *Nobilibus* hac gloria relista. Constat hoc ex historia germanorum, quam varia testimonia corroborant. Sic Imperator rusticis arma tollere, judicibus injungit apud FRANCISCVM GVILIELMV M in Helvetia L. II. C. II. n. VII. Nominatim IOHANNEM regem Boemiae armorum gestationem civibus Vratislavensisibus prohibuisse, patet ex diplomate, quod exhibit LVNIG. R. A. T. VIII. p. 240. Similia continet vetus statuum manuscriptum comitum a Stolberg. d. A. 1567. L. IV. art. XXVIII. von Mordwehren, die nicht zu tragen. Ibi. Niemand soll aufs Rathhaus oder sanft lange oder kurze mördliche Wehre tragen bei Verlust derselben. Quodsi ergo quis armis tum deliquisse comprehensus erat, vix du-




bitari poterat, quin iis ad *violentam* oppositionem se cinxerit, ut fidiculis opus non magis esset, quam si quis sicutam hodie secum fert. Qua circumstantia motus legislator, nil in hanc rem disponit, sed ex moribus suaevi omnem furem armatum, de inconsueto incessu convictum, rigori legis protinus subjicit, non subiecturus, si armorum gestatio olim tam frequens, quam hodie, fuisset. Neque dimoveor eo, quod maiores non minus, quam hodie *culturum*, cibi causa secum tulerint; Subdubito enim, num tale cultrum quotidianum voce derer *Waffen* comprehendi possit, quae strictionem significatum habet, et ad instrumenta, quibus ad *pugnandum* vel invadendum uti solemus, pertinet, cui usui ordinarie tale cultrum *vix* applicarunt maiores, breve quippe, et sic ad *resistentiam*, non aeque aptum, ut gladius, fustis, clava, securis. Unde admodum verisimile est, Carolum furem solo *cultro* instructum pro armato non habuisse. Fallor, aut in eundem modum textum interpretatur GRASS. Collat. C. C. cum R. I. p. 662. Ex professo autem ita sentit B. HOMEL. de Conf. extort. ratif. §. IV. et de certid. corp. del. Ubi docet scabinos Lipsienses super hac circumstantia torturam dictasse additis interrogatoriis: *Ob nicht bei Ausübung des Inhalts art. XLVI im Sept. 1749. von Martin Gotschalk zu Volkau begangenen Diebstahl, seines Diebes-Gesellen Hoffmann und der so genante Hamsterhans zu dem Ende geladen Gewehr bei sich gehabt, daß sie sich dessen zu Ausübung Gewalt gegen denjenigen, der sich wiedersezzen möchte, gebrauchen wollen? Ob nicht Inquisit vorher gewußt und darinn gewilligt, daß selbiger solch Gewehr und zwar in dergleichen A'sehen*

Abschen damals mit zu dem Diebstahl genommen? Ob nicht auch Inquisit und seine Diebes-Cameraden dergleichen mit sich zunehmen gehabt und solchen Vorsatz vorher abgeredet? Illud parum refert, ab uno an pluribus hoc furtum commissum, quemadmodum, si plures concurrunt, tamquam socii idem factum subeunt; et si quidam armati fuerint, quidam non. dummodo expresse, vel tacite ipso facto conspiraverint, Arg. art. CXLVIII. C.C.C. Qui enim, quod alter subdole gestaverit arma, ignoravit, seque sociavit, mitius tractandus, rigore merito in alterum decreto. Cl. HEIMBURG c.l. §. XXXV. seq.

§. VI.

Ex praemissis variae colligi possunt conclusiones. *Variae conclusionis ex praemissis*
Prima est: furtum armis commissum, et si effractione non accesserit, periculose esse. Nam imperator utrumque non coniungit, sed disjungit, et maior ratio poenae capitalis in furto armato, sed sine effractione commisso, adeo, fatente LEYSERO c.l. *Altera*: perinde esse, vtrum sur arma lethifera ad locum delicti secum tulerit, an ibi inventa ante contrectationem apprehenderit, seque iis ibi cinxerit. Nam vtr obique idem adeo periculum, eademque praemeditatio ad vim eventualiter inferendam directa, circumstantia inventionis et ad portationis vero periculum non producit, multo minus auget aut minuit, sed illud unice ex qualitate armorum, et oppositionis proposito repetendum, sufficitque, quod uterque casus omnino respondeat einen gesessenen gefährlichen Diebstahl. Sola verba mit Waffen eingehet, moram non faciunt, nec speciem praesentem, rationi



rationi legis respondentem, excludunt, sed ab eo, quod
sit, ut plurimum sit, desumitur. Nam plerumque homines
mala machinantes sibi in *anteceſſum* armis prospiciunt, ra-
rius in spe, arma in loco furti occupandi, acquiescent. Se-
cundus decidendum, si in re *trepida* demum arma conquirunt,
quod *defensionis* cauſa, et sic ex *accidenti*, non ex *praedeli-
berato* consilio factum intelligitur, adeoque ad hunc arti-
culum non pertinet, et si tunc *periculosa* laesio immineat,
quam in angustiis coeptum consilium temperat, quam diu
nemini nocitum esse constat. *Tertia*: Omne omnino fur-
tum formidolosum ad ea loca tantum pertinere, in quibus
ordinarie *homines* versantur, vel ubi circum circa alii, quibus
oppressio imminere potest, delitescant, ut in simili supra
observavi, quia ex conditione *loci* praefumto violentiae
suis deſtituitur viribus, et coniectura potius contraria capi-
enda, quod reus saltim ad furtum *commodius* perpetrandum
ea secum sumferit. *Quarta* est: Vim illatam abſciffe non re-
quiri. Nullibi ait Imperator: *Mit Waffen verlezzet*, sed,
in vi metuenda *verlezzeu möchte*. Item *eine Verlezzung*
zu besorgen, acquiescit. Quid ergo si oppositio in re tre-
pida fecuta? Ad huc manet furtum periculosum, sive iētu
frustraneo appropinquantem petierit, et sic ad aētū laesio-
nis *proximum* tantum pervenerit, sive *vulnus* grave aut
mortem intulerit, etiam tunc, ubi non armatus, in angu-
stiis redactus, demum arma conquisivit. Nam quum sola
suspicio gravis inferendi mali furtum aggravet, quidni idem
liceret, quoties vis reapſe illata? Idque non obscure evin-
cunt verba: *Darob berüchtiget oder betreten*. Nam vix
est, ut deprehensio furis armati sine oppositione contin-
gat

gat, et tamen etiam hoc casu in poena capitali subsistit Imperator, certo arguento, *praesentem* vim, etiam non deliberatam, multo magis hic pertinere. Illud unicum turbare hanc sententiam videtur, quod haec sit propria *rapi-*
nae qualitas si *personae* vis sit, adeoque factum ad regulas rapinae exigi debeat. Sed salva res est. Raptor enim id agit, ut *palam* delinquat, et *directo* possessores aedium prehendat, torqueat, rebus potundi causa; fur autem *clam* auferre gestiat, nec comprehendi velit, in omnem *eventum* autem violentam oppositionem meditetur, consequenter ad arma nonnisi *eventualiter* prorumpat. *Quinta.* Fures *nocturnos*, qua tales, sine effractione, ascensione, aut armis aedes intrantes, in hunc censum non venire, nec formidinem laetionis in his talem esse, ut ad extrema praecise progreedi praesumantur, adeoque vix fieri, ut rigorem hujus articuli subeant, et si aliud visum **RICHTERO**, de furt. §. **XXIX.** nisi *clamore* admoniti non retrocedunt; nam tunc ob periculum *impune* occidi, multo magis capite puniri possunt, si clamans meticulosus latebras quaeſivit.

§. VII.

Eviſtum est, *triplici modo* furtum periculofum com-mitti, adeoque eius tres distinctas species esse. Probat hoc orationis series, quae non copulativa, sed *disjunctiva* est, et totidem verbis articulis **CLVII.** **LVIII.** **LX.** repetita, vt per incuriam verba excidisse, et promiscue cum *copulativis* sumta fuisse, dici nequeat. Tum ratio *decidendi*, ut eviſtum, *singulis* specibus plenissime respondet, non praecise omnibus *coniunctim* tantum propria. Denique in articulo se-

C quente

quente dicitur *und der Umstände, so den Diebstahl, wie oben davon gemeldet, beschwören, keiner dabei gefunden wird,* quod indubium argumentum est, triplici modo periculorum committi, quum alioquin ad effectum poenae non unius circumstantiae ex antecedentibus, sed omnium simul mentionem fecisset. Unde vim faciunt verbis, qui circumstantias istas *copulativa* requirunt, et sic furtum periculosum ad *unam* speciem reducunt. Fax et tuba hujus doctrinae est CARPOVIVS, quem plerique tanta superstitione sequuntur ut parum absit, quin in locum ACCVRSTI glossa sua leges pro lubitu fagentis, et resurgentis, sufficiens videatur. Turbam quam dicit, habes apud GRASSVM p. 657. Fatentur tamen errorem quam plurimi, et mero usui ac observantiae contrariam sententiam tribuunt. TAB. h.a. §. V. KRESS. h.a. §. I. n. IV. LEYS. spec. DXXXVI. N.X. contra l. 39. de LL. ex qua quod semel errore introductum, in similibus non obtinebit. Neque est *constans*, sed rebus judicatis *contrariis* interrupta praxis, teste BODINO de *furt. pericul.* adeoque nil obstat, quo minus hoc idolum deseramus. Taceo, rationes Carpzovii esse admodum imbecilles, inter quas levissima est, quam contra significatum grammaticum tribuit vim *copulativam* verbo: *oder,* quasi ea imperatori in hac lege ad modum familiaris sit, quoties hoc utitur. Nam id tunc demum admitti potest, si conexa et substrata materia id postulat. Verum ubi hae rationes desunt, magis regulis interpretandi communibus insistendum, quae volunt, vt verba in significatu PROPRIO ac famoso accipientur. LUDOVICI ad h.a. Frustra metuitur, ex disjunctiva acceptione verborum *absurdum,*
fecitum


secutum, vel rationem legis subversum iri, imo potius sanguis sensus per eam huic legi restituitur, in qua singulis speciebus separata ratio subiecta, nullo alio fine, quam ut de voluntate legislatoris ad plures species restricta eo magis constet, quod momentum jam notarunt T A B O R et K R E S S I V S. Prioribus enim speciebus additur ratio, *Das ist ein gesättigter gefährlicher Diebstahl, als posteriori multo clarius subiicitur, darum ist in dem Diebstahl, der mit Waffen geschiehet eine Vergewaltigung und Verlezung zu besorgen.* Potissima ratio a duritate poenae desumpta, quam plerique crepant, et sub inani aequitatis specie plaustrum sternunt maleferiatis, qui omnem humanitatis sensum ejurarunt, et et sic misericordia vix digni sunt. Certe quum vis publica in rapina, stupro violento aliisque similibus delictis poemam capitalem sine offensa aequitatis suadeant, vix causa sufficiens intercedit, ut eiusmodi nebulones temere defendamus. Conf. MEISTER Princip. Iur. Crim. C. XXXI. §. XI.

§. VIII.

Sed nequidem in eo subsistit Carpzovius, dum vim *Aliud est seditionis* requirit, eumque in finem coadunationem hominum desiderat, ut furtum speciem fractae pacis publicae *seditiosum* habere videatur quod tanto minus ferendum, quanto certius est, nullum omnino indicium occurtere, quod hoc tenderet. Sola vox *Vergewaltigung* non praecise seditionem, sed vim vel *Oppressionem* notat, alioquin dicendum terium, sed sine vi furantem, ideo quod vor einen *Vergewaltigen* art. CLXII. habeatur, cum seditione contrectare.

C 2

re.



re. Unde dudum Carpzovium deserverunt Wittebergen-
fes apud BERGERVM P. I. p. 64. p. II. p. 67. KRESS.
h. LEYS. spec. DXXXV. MX. et DXXXVI. MX. Arti-
culus enim, sunt verba Leyseri, conservationem pacis ac
securitatis domesticae spectat, et propter eam tam poenas gra-
ves sancit. Illa vero domestica securitas etiam per mulierem
ostia vel parietes effringentem, aut per fenestras, foramina,
ascendentem turbatur. Quibus rationibus si formido et peri-
culum vitae, quod dominus rebus suis invigilans, etiam citra
seditionem incurre potest, additur tanto magis de ludibrio
hujus interpretationis constat. Decepit CARPOZIVM,
ad quem ipse N. XX. provocat textus F. 27. quem vulgo
de furto sediciose accipiunt SCHILTER ex XLIX. §. VII.
etsi ejus nullum appareat vestigium. Usus hujus obser-
vationis est, 1) quod unius hominis armati possit esse fur-
tum periculosum et capitale. 2) Illud etiam in loco vbi
nullus hominum confluxus contra inhabitantes committi
possit, quorum neutrum schola Carpzoviana admittere po-
test, ut eleganter docet KRESS. §. V. n. I.

§. IX.

*sine abla-
tione non
intelligi
tur*

Satis de violentia ejusque formidine. His solis ta-
men non absolvitur furtum periculosum, nec antea rigori
subiicitur, nisi actualis ablatio fuerit secuta, et sic de con-
summatione furti constet. Imperator enim non de sola vi,
sed furto per vim commisso agit, vt totus contextus docet.
Pertinet hoc imprimis in hoc articulo mentio repetita des
Diebes, Diebstahls, item remissio sequentis articuli, als
obstehet, gestohlen hat, quae verba merito cum effectu ac-
cipien-

cipienda. Unde non capienda verba *bricht*, oder *steiget*, quae quidem ad furtum etiam *tentatum* pertinent, sed interpretationem accipiunt ex sequenti toties repetita mentione des *Diebstahls*. Accedit *triplex* ampliatio poenae capitalis, quarum *prior* differentiam primi ac iterati furti excludit. Non ait Imperator *das erste oder mehr Einbrechen, Einstiegen, die Diebstahl*, quae vox plus, quam sola vis infert. *Altera* quantitatis ablatae non rationem habendam vult, quod utique absurdum forer, si de casu, quo *nil omnino ablatum*, cogitasset. *Ultima* manifesti ac nec manifesti differentiam rejicit, additis verbis *darob oder darnach betreten*, quorum priora ad actum contrectationis durantem, posteriora ad finitum pertinent, certo indicio, textum de fure actu spoliante, vel etiam cum spolio aufugiente esse capiendum, non de eo, qui in proxima spolii praeparatione constitutus haec tenus nec contrectavit, nec erupit. *Ablatio et contrectatio*, quomodo hic accipienda sit, ex iis, quae notio furti in genere suggerit, repetendum, nimirum ut occupationem, et apprehensionem, accedere oporteat, non sola apertura aedium cistae sufficiat, adeoque is quidem hoc pertineat, qui in *colligendis sarcinulis* occupatus, multo magis, cui in fuga spolium erectum, contra effractionem et ascensio ad furandum tantum directa cum hoc articulo nil commune habeat. Quare relegationem hoc casu decretam fuisse, testatur C A R P Z. q. LXXIX. n. LX. Helmstadiensis vero si effringens ad actum proximum accessit, fustuarium supplicium placuisse, testis est L E Y S E R spec. DXXXVII. m. 7. Plane quod K R E S S. §. IV. docet, reum, qui in aedes armis irruisse, homines vinxisse, percussisse

C 3

et



et terrore exanimasse convictus, sed ab aliis impeditus, nihil minus ad *ultimum supplicium*, vel ad *poenam morti proximam* damnari posse, eo minus dubium habet, quo certius est, *talem non ad hunc, sed ad art. CXXVI. pertinere*, imo ex sola qualitate vis publicae in fraudem capitalem cadere.

§. X.


*quid de
conspira-
tionibus
dicendum?*

Illud non omittendum, solam *conspiracyem eorum*, quorum nullum *factum* accessit ad consummationem ab uno socrorum susceptam, si non verbis, re ipsa tamen, et effetu hoc articulo contineri. Nam quum omnia ad *periculum* grave hic redeant, naturale quoque est, ut qui *momentum* ad id promovendum attulerunt, quales sunt conspirantes, pari passu cum contrectante ambulent. Agnoscit hanc ratiocinationem in homicidio Imperator art. **CXLVIII.** quidni idem in furto periculo adoptandum? Quod fecisse video Hallenses in praejudicio, quod recitat **LUDOVICI ad art. CXVII.** Consentit **HARPRECHT Conf. LXXVII. n. IV.** Loquor de conventione *expressa*. Idem ad tacitam trahit **LEYSER. m. XVI.** si reo, in effractione occupato, alii *ultra* suppetias ferunt, quamvis, ut verum fatear, tunc non tam ob *conspiracyem*, quam ob *attualem* violentiam, quae utrum ab uno, an a pluribus fiat, perinde est, explicite hoc art. notati intelligentur. His non multo dissimiles sunt, qui *excubias* agendo executores reddiderunt *alacriores* et sic praeter *conspiracyem factum* commiserunt, a quo *felicior* effractionis vel ascensionis eventus proxime pendebat. Alia omnino ratio

tio est eorum, qui meram imminentis violentiae *scientiam* habent, quamdiu nec *consultando*, nec alio modo quid *agendo*, vires suas applicarunt, quibus atrocitas praesentis facinoris, et ratio laesae securitatis publicae *poenam* quidem, ast leviorum parat, quae carcerem, vel pecuniariam quantitatēm non egreditur. L E V S. c. l. m. LVI. Quod etiam de *participatione*, vel *receptione* dicendum, quae tamen magis, quam *scientia*, criminosa est, etsi in violentiam, cuius hic unice ratio habenda, non influat.

§. XI.

Circa *poenam* furti qualificati in eo conspirant ple- Rigor ju-
raeque leges, quod in odium imminentis violentiae durior ris malicie
fit, quam quae in furtum *simplex* statuta. In legibus Mo- contra fu-
faicis de *perfoſſore* habes locum exod. XXII. 3. Si in per- res pericu-
foſſione deprehensus fuerit fur percussusque et mortuus, cae- losus
dis reus non erit percussor. Si tamen sol illi ortus fuerit,
caedes reus hic erit, repensurus enim fur erat, aut si nihil
effet illi, pro furto vendendus fuerat. Ita vero alia ratio
erat diurni, alia nocturni. Nam verba, si sol ei ortus, evin-
cunt, antecedentia ad nocturnum pertinuisse. Unde sensus
est, nocturnum perfoſſorem impune necari posse, non aequem
diurnum, sed eum aut rem reddere, aut jugum servitutis
in compensationem subire debere, quod satis durum, quum
furta simplicia duplo luerentur. Severiores Athenienses
fuere, penes quos aedictum perfoſſoribus mors proposita
P E T R U S P E T I T U S ad LL. Atticas LVII. Tit. V. A
quibus vix discrepant Leges decemvirales, quae quum ma-
nifestum tamquam formidolosum morte multaverint, id
multo



multo magis de *armato* statuisse oportet, licet nominatim de hoc peculiare quid non sanxerint. Et licet **I V S T I N I A N U S** poenas *corporales* contra fures simplices prohibuerit, non aequae contra *armatos* sustuiit, ut ex *Nov. CXXXIV.* c. *X.* appetat.

§. XII.

Cur bodie poena sit Capitalis. Iure nostro abscisse poena capitalis definita, eiusque ratio proxime in *periculo* maiori, quod huic furto cohaeret, collocata. Inde sua natura fluunt conclusiones 1) quod *temporis* diurni vel nocturni non habeatur ratio. 2) Nil referat, fur deprehensus fuerit, nec ne, quum etiam posteriori casu *metus* periculi in quo Imperator aciescit, concurrat. 3) *Damni* illati quantitas non iu computum veniat, adeoque etiam minimae rei furtum periculosum fieri possit, ut imperator nominatim disponit. His addendum 4) quod 'eiusmodi furi parum consulatur restituzione rerum ablatarum earumque aestimationis, quae tantum in furto *simplici*, in quo damnum datum, limites vindictae ponit, pertinet, hic uero tantum abest, ut locum habeat, quantum abest, ut violentiae illatae vel metuendae per eam quid decedat. H A R P R. Resp. LV. n. 176. Stryk V. M. h. t. §. VI. Unde vim faciunt verbis, qui hunc respectum non omnino excludi, docent, exemplo B E E K I I de *rest. rer. furs.* §. 24. postquam Imperator tam sollicite, et singulari Zelo hanc speciem a reliquis furtis distinxit, et ad *propria* principia, quae cum damno nil commune habent, reduxit. 5) Frustra de corpore delicti periuratam *aestimationem* rerum ablatarum eruendo, tabo-


laboretur; nec hoc praetextu mora fiat definitioni poenali. B. PARENS T. II. dec. 1066. sufficiatque tum de ablatione, tum de periculo constare, quae praesens corpus delicti absolvunt.

§. XIII.

Genus mortis quoad mares fractione gulæ, *suspensione* Durities poenae hic furibus non nuper scripta. *Vetus* est observantia suffocare eos in patibulo, vel arboribus. Apud *Ripuarios* fures in *furcam actos* esse patet ex tit. 79: *Si quis homo propter furtum comprehensus, et legitime superatus, et judicio principis pendutus vel in quoconque patibulo vitam sinerit.* Gemina an huic fuerit lex *Burgundionum* et *Saxonum* non definitiverim, et si frequenter capitalis poenae in fures mentionia fiat. Clarius vetusti moris vestigium exhibit decretum *Childerici Regis C. VIII.* quo constitutum, ut judex latronem ligare faciat, ita ut si francus fuerit ad nostram praesentiam dirigatur, et si debilior persona fuerit in *loco*, vel, ut *ECKARD. et LINDEBROGIUS* legunt, in *collo* pendatur. Luculentum ex Sec. VI. testimonium sub *HENRICO II.* exhibit *DITMARVS Merseburg L. VI.* ubi convenienti, inquit, ibidem fures a congreidentibus decreta laqueo suspenduntur. Aliud sub *OTTONE III.* habes apud *DITMARVM Chron. L. IV.* edita *Leibniz p. 363.* Similiter *Ditmaris* gulam fregisse furibus feruntur in *Chronica Holsat.* c. 38. apud *LEIBNIZIVM T. I. access. histor. p. 102. Conspirant LL. obstatbonicae. A. MLCC. XXXIII.* apud *GAERTNERVM p. 144.* Alia testimonia ex chartis antiquis plena manu colligit *ENGAV de furt. magn. Mingravit*

D

gravit



gravit idem supplicii genus *in jus prov. Sax. L. II. c. 13.*
et Suevicum cap. 114, Denuo 2. Feud. repetiit, quisquis
 demum FRIDERICVS autor fuit constitutionis, quem
 plerique rectius primum, alii cum Hottomanno IIum
 esse volunt. Quae omnia satis evincunt, natales hujus
 in fures supplicii erronee a CARPZOVIQ. *q. LXXVII. N.*
IX. e Speculo Saxonico repeti, multoque minori verisimi-
 litudine Fridericu[m] primum furum suspensorem ferri, quem
 errorem erravit WILDVOGEL de Condit. furtiv. §. II.
 in not. De truculentia non est, ut queramus. Nam
 quae eam in rem moneri solent et possunt, pertinent ad
 furtum simplex magnum. Qualificatum tanto minorem clem-
 entiam meretur, quanto gravius est flagitium, non mo-
 do bonis, sed simul vitae alterius insidiari. Sed alia quon-
 dam ICtorum fuit opinio, qui, quum solo iure Rom. in
 puniendis furibus paulo indulgentiore, tineti, supplicia ca-
 pitalia, de quibus in scholis non edocti, ita horruerunt.
 Ita nemque PARIS DE PV TEO de Syndic. rubric. Crude-
 litor. N. V. Friderici Imperatoris animam propter hanc de
 furibus in furcam tollendis editam sanctionem flammarum in-
 fernalium usionibus torqueri, et ideo ad tertium gradum non
 pervenisse eius generationem, lepide cavillatur.

§. XIV.

*Cur foeminarum diversam esse conditionem, nec iis
 minus immispendium imminere, sed loco eius surrogari immercio-
 merito immineat?*


Foeminarum diversam esse conditionem, nec iis
 minus immispendium imminere, sed loco eius surrogari immercio-
 merito immineat? Cuius discrepantiae non solum Car-
 rolus V. autor est, sed vetus Germaniae consuetudo, secun-
 dum quam constat foeminas vividofoffione non laqueo fa-
 cinus expiasse. Vetus codex Lubecensis apud WEST-
 PHAL.



PHAL. T. III. monum. med. T. III. p. 659. dat vif de mit
Dive verschuldet to hangene de scul man lebendig begraben
dorch Viflike ere. Huic respondent jura civitatis Ripensis
c. 40. Quaecunque mulier pro furto suspendi meretur, pro
honore muliebri viva tumulabitur. Nec aliter vetustus
Codex noricus apud DANREVTER de Nemeſi Norica c. VI.
§. 8. ubi tamen additur ob truculentium poenae substitu-
tam fuisse inmersionem. Quaeſitum ab interpretibus, cur
haec sexus discrepantia obtinuerit? Miratur ZIZRIZ, quod,
quia durioribus accensetur, in foeminas decreta fuerit im-
mersionis. Meliori forsan iure mirari debuiffet, vivideſo-
ſionem, cuius truculentiam cit. Codex ipſe agnovid et
immersionem pro remiſſione habuit. Sed non opus est
ſcrupulo, quum immersio nunquam gravior habita foeda
ſuspendii poena, nec ulla ratio movere legiſtatem po-
tuit, ſexum ſequiorem durius tractare. Unde alii rigo-
rem infamis ſupplicii favore ſexus potius remiſſum fuiffe,
contendunt. Rursus alii, quum togae muliebris inferius
patentis laxior habitus fit, ſolum decorum cohibuiffe Ca-
rolum contendunt, quominus patibulo vitam finirent.
TAB. ad h. a. §. 26. LAVTERBACH diff. d. priv. del. n. 26.
Quorum ſententia merito praeferenda, ut Dn. PRAESES
ad Carpozvium q. LXXXII. obf. V. probavit. Comprobat
eam citatis legibus adjecta clausula: dorch viflike ere, quae,
etſi ad favorem ſexus trahi, et mitigationem aequē invol-
vere poſſit, rectius tamen ad decorum referenda ut clau-
ſula umweiblicher Zucht iuri Lubecensi p. IV. T. I. art. V.
inserta, ſole clarius docet, quae nihil cum praetensa mi-
tigatione commune habet, ſed ſoli decoro propria eſt,
quum Zucht et Erbarkeit vulgo ſynonimice ſumantur.

§. XV.

Saepius tamen ex justis cauſis rigor temperatur *Misericordia*
quo pertinent verba nach Gelegenheit der Person und Er- ex iusta
messen des Richters. Mallem ut paulo clarius das Wesen *causa*



determinasset, tum *normam arbitrandi specialiorem* *siquidem* *suppedisset*. Vtriusque applicatio periculosa, si verbis inhaeremus. Quid enim *honor*, conditio *externa*, *natales* ad molliendam poenam invasoris, qui vel actu vim extantiorum infert, vel inferre paratus fuisse supponitur? In vulgus notum, *natales* et gradum dignitatis, in *Capitalibus* et *imprimis* iis, quae *singulari improbitate* animi se commendant, haut attendi. Quodsi verum, non posset non irregulariter quid hic latere, si mens Imperatoris fuisset, dignitati favere, quod vix praesumendum. Ad hoc arbitrium sine norma arbitrandi provocare, idem est ac legem *evertere*, ejusque applicationem venalem habere. Hinc puto, judicem unice oculos ad *rationem* definiti rigoris desigere, adeoque exinde cit. verba interpretationem capere. Haec duobus momentis absolvitur, primum notat *audaciam* hominis scelerati, qui nec munimentum, nec periculum, cui se subiicit, extimescit; alterum *vitae membrorumque* grave discrimen, quod ab eo subire potest, quisquis se ei opposuerit, tangit: vtrumque verbis: *gefährlicher Diebstahl* continetur. Quae si conjunctim in subiecto concurrunt, et quidem in eo gradu, qui viro constanti formidolosus esse potest, in rigoroso supplicio absisse subsistendum. Alioquin magis aequitati et voluntati legislatoris conveniens, ut severitas paululum emolliatur. Tunc autem audacia nociva abesse censetur, si homo boni frugis, moribus irreprehensibilis, sedetus, factum non semel detestatus, stupidus, bardus fuerit. Hae et similes *animi qualitates* non *natales* passim in Carolina durch das *Weßen der Person art. XXVI.* *CXXXVI.* alibique denotantur lenioremque vindictam commendant, quia vix ac ne vix quidem a tali quid metuendum. Modo armis *attū* nec nocuerit, nec nocere tentaverit. Alioquin si de his satis constat, hoc tanquam circumstantia improbitatis *specialis* superiores praesumptiones


tiones generales prorsus obnubilat, efficitque, ut non
obstante bona īdole rigor stricte servetur. Eundem in
modum de violentiae metu judicandum, qui suos gradus
habet et sic si levior et talis fuerit, unde insignis laesio
non adeo imminet, saepe temperare potest ac debet ar-
bitrium judicis sententiam ferentis, et modum eligendi
poenam eidem convenientem determinat. Non multo
aliter de moderatione poenae ratiocinatur, et sensum ar-
ticuli circumscribit K R E S S. c. l. n. 12. a quo si discesseris
non potest non tota sanctio penal is penitus everti.

§. XVI.

His praemissis exulare debet poena capitalis 1) si *Casus buc*
apertura *leviore* et non nociva violentia, manibus, aut in *perrinen-*
strumentis non lethiferis facta, quae vix *effractionis*, mul-^{res}
to minus *periculose* nomen meretur, quo *testi straminei*
ruptionem solis manibus suscep tam, nec non aperturam
cistae laxiori munimento instructam, aut applicationem
clavis laconiacae refero. 2) Si exigua *pulveris* nitrati
quantitas applicata, quod nec audaciae nec violentiae in-
signe est argumentum. 3) Si *vacuae* aedes, naves *effra-*
ctae, 4) si ascensio sine *scalarum* applicatione, vel in inferio-
res aedium partes, vel super maceriem, vel ex impluvio
in *testum* facta, 5) si ascendens stupidus, non meliculus
fuerit, apprehensus nil omnino tentaverit, et ipso *fatto*
prae sumptionem violentiae eliserit. 6) Si armis *confuetis*
cinctus exceptionem, se non violentiae inferendae causa
accessisse sub *tormentis* comprobaverit. 7) Si arma, quae
gestaverit, *ad laesionem extantiorum* vix apta fuerint. 8) Si
ablatio vel consummatio deest. 9) Si vitae *ante astae*
vel futurae *emendationis* evid entia prostant monumen-
ta. 10) Si de effractione non constat. CARPZ. LXXXI.
N. XXIII. Non aequa si damnum fuerit pensatum, cuius
in hac speie ratio non habetur. Etsi enim remissionem

D 3


ob




ob restitutionem damni probat, si vis levior fuit illata,
CARPZ. q. LXXX. n. XLVI. eius admissio tamen non tam
restitutioni debetur, sed qualitati violentiae levioris jam
cohaeret.

§. XVII.

Quaenam poenae ad effosionem oculorum, et manus abscissionem. Praxin utriusque historiae Germaniae comprobant, uti exempla a K R E S pertineant. **s i o** alleta docent, quae tamen ad alia crimina non ad furtum pertinent. De oculorum privatione furibus applicata ex monumentis exemplum non prostat. Imo nec C R E L L I V S de *Iure man. in poen.* tale de manus abscissione, aliquoquin frequenti, adducere potuit. Hodie certum, utramque exulare, adeo, ut ne quidem in *periu-*
rio manum abscindere moris sit, ceu Interpetes testan-
tur. Quae praxis facile defendi potest, ex utriusque hominis cum trunco, vel oculorum acie privati, miserrima conditione, qua sibi quaestum parare ineptus, civitati vero onerosus est. Addit Imperator *oder andere schwere Leibes-Strafe*, quae verba, si de iniustione in dorso ferro candente accipiuntur, cuiusmodi praejudicium haber GRASS. p 650. et HARPR. *Conr. XXVIII. N. XCIII.* res satis expedita est. Sin de aurium nariumque abscissione accipiuntur, eandem fortunam subeunt, licet ne harum quidem poenarum praxin forum agnoscat. Satius itaque est, in *fusiliziane vel condemnatione ad opus publicum*, et ergaftula subsistere, quarum posterior ob duriores labores et flagellationes, quibus rei tum exponuntur, merito corporis affectivis accentetur, et si haec prioribus gravitate sua nec similis, nec a legislatore comprehensa sit. GRASS. 648. Interim usus prioris in pluribus provinciis exulat, nec etiam expedit eam revocare, quum rei per futes vix emendentur, nec *vilitati publicae satisfiat*, quin potius scelerati ex una provinci in *aliam trans-*




transmittuntur; magis saluti publicae prospicitur per per operas publicas, quae non modo rapinis obicem ponunt, verum etiam furibus, quos mera voluptas ad contumaciam provocat, intolerabiles sunt et sic optimum remedium libidinem refenendi constituunt. Caeterum poenae arbitrariae, si quas nonnumquam circumstantias facti requirunt, non tam stricte ad corporis afflictivas alligatae sunt, quin molliorem substituere licet. Nam plures occurrere possunt circumstantiae factum egregie moderantes, et periculum saepe tam leve est, ut relegatione vel carcere expiari possit. Unde has imperatorem exclusisse vixcludi potest, quod etiam confirmant praejudicia apud CARPZOVIVM cit. l. n. 53. 62. Certe unius positio non est alterius exclusio.



COROLARIA.

- I. *Sectio cadaveris non praecise praesente judge fieri debet.*
- II. *Accusator de calunnia convictus etiam criminaliter conveniri potest.*
- III. *Bigamia iure carolino non est capitalis.*
- IV. *Legitima impuberum arrogatorum est quarta, non tertia bonorum.*
- V. *Quaerela inofficiosa est species hereditatis petitionis.*





PRAENOBILISSIMO
DOMINO
R E S P O N D E N T I
S. P. D.
GVSTAVVS LVDOVICVS ALEXANDER
A MÜNCHOW
OPPONENS.

*Quo pauciores sunt, qui in addiscendis litteris, non otium,
sed noctes atque dies consumere, omnemque operam navare sa-
tagunt, eo profecto magis sunt colendi, primique habendi.
Aestimabili horce adolescentium numero, et TV RESPON-
DENS doctissime, qui in assiduitate, et diligentia memini
fuiſſi secundus, merito TVO es accensendus. Ex animo ita-
que, de tam feliciter superactis laboribus emenſoque studio-
ſtudiorum academicorum curriculo, TIBI gratulor. Servet
TE in gaudium eorum, qui pro felicitate TVA ad sidera pal-
ma tendent, salvum atque incolumem, rerum omnium mode-
rator DEVS. Abi bonis avibus, prosperam semper atque
laetam age vitam. Vale! memorque sis mei! Dab, Traje-
iecti ad Viadrum die XVIII. Maji
MDCCCLXX.*

—

VIRO

VIRO
 IVVENI PRAENOBISSIMO
R E S P O N D E N T I
 DOCTISSIMO
 AMICO SVAVISSIMO
 S. P. De
 OPPONENS ORDINARIUS
OTTO LVDOVICVS FVHRMANN
 MESOM. I. C.

Relinquis arenam, eodem, quo eam descendebas omnium aplausu. Postulat TE patria, sequeris procul a probriis, felicit haud spes; accipit TE, qualem semper speravit. Gratulantur sibi laeti parentes de filio doctrina ornato, gratulatur sibi et patria. Quid autem, quos dulce amicitiae vinculum hic tecum conjunxit? quid TVI? et inter hos beatos quid ego? Non possum non TIBI equidem de tam laudabile finito academico curriculo gratulari, TVA autem carere consuetudine, twoque ore unicum est, quod doleo; et quamvis haud mihi; attamen votis licet, socios se TIBI adjungere. Sis itaque mi GRAVN felix! sis faustus. Profecto et eris dummodo Tuorum pro TVA Salute precibus annuat numen supernum. Vale! meque, vti amasti, amare nunquam desine!

PRAE.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 DOMINO
R E S P O N D F N T I
 DIGNISSIMO IVRIVM CANDIDATO
 S. P. D.
L. F. SCHEIBLER
 POMERAN. I., V., ST.

Si verum est, quod nemo dubitat, legum cognitionem prudenterque applicationem, unicum illudque firmum esse fundamentum, quo salus reipublicae civiumque nititur; is profecto summa laude dignus erit, qui controversias circa carundem interpretationem dirimit, verumque sensum extra omnem dubitationis aleam ponit. Inter hos non immerito referendus es, NOBILISSIME DOMINE RESPONDENS, quippe qui leges criminales, plurimum omnino ad bonum ordinem servandum, scelerata et hominum flagita coercendo, facientes, rite interpretari contendis. Quid itaque TIBI apud omnes, qui TVAM in omni studiorum genere non ignorant, dexteritatem, maiorem parere potest laudem, quam ut sub Praesidio ICtorum nostrarum aetatis facile principis BOEHMERICELLENTISSIMI, hanc TVAM dissertationem e cathedra defenderes? Datus iam est virtuti TVAE locus, ut maiora deinceps facies spatia, pronisque gradibus ad summum gloriae fastigium elevaris. Gratulor TIBI hosce honores ex intimo pectoris affectu, gratulor finem studiorum felici Marte emensum, gratulor denique mihi, quem dignum judicasti, qui Opponentis vices administrarem. Caeteroquin me amicitiae TVAE, qua nihil omnino quicquam censeo aestimabilius, etiam atque etiam commendo,
Vale!

Kg 1401

ULB Halle
005 360 870

3



vina

M



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1780

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-789823-p0043-5

DFG

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

INDOLE FVRTI PERICVLOSI

QVAM

PRAESIDE

IO. SAMVELE FRIDER. DE BOEHMER, ICTO

POT. REG. BORVSS. CONSIL. INTIM.

ACADEM. VIADRIN. DIRECTORE

IN

AVDITORIO IVRIDICO

DEFENDET

HENRICVS LUDOVICVS GRAVN

BEROLINENSIS.



D. XXIII. MAII MDCCCLXX.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.